DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XVII. IAN.

M. IOANNE ARMANDO DE MAVVILAIN, Doctore Medico, Præside.

1077

An febribus putridis Cardiaca?

FEBRIS omnium ægrotationum crudelissimè frequentissimèque vitæ hominum insidiatur, & quotiescunque per corporis intima serpit, illic omnia depopulatur incendio, vixque sinit mortalium vllum ad Charontis cymbam accedere, quin ei molestam sese comitem adiungat: non partem vllam ignobilem primùm adoritur, sed quò breuiùs animal conficiat, solum cor vitæ arcem & caloris natiui lares occupat, hîc propriâ sede collocatâ reliquas in partes tyrannidem exercet; hîc modò spiritum inflammat, modò humores labefactat, modò solidiorem substantiam depascitur, modò mitescens ægro permittit inducias, tùm ferociens eum assiduo cruciatu torquet; sic illa pars quæ sanguinem in totius corporis vsum placido pulsu antea circulabat, in illius exitium humorem igneum motu præcipiti voluit. Minimè tamen in corpus inuadit nisi aëris inclementiâ, assumptorum errore, motus tum animi tum corporis immoderatione, meatuum angustiâ putredinisque labe ad hunc impetum sollicitetur. Ad hoc maximè iuuat in febrem temperamenti procliuitas: sic febre calidiori temperie præditi acerrimè & creberrimè iactantur; sicque animalium feruentissimus leo, cuius effigie febrim Heliopolitani designabant, eâ fermè semper flagrare solet: contra verò vix vnquam æstus caniculæ febrium acutarum feracissimæ in emerito silicernij corpore causum accendere valet: immò vel in Æthiopum ardentibus plagis, apud quos febres sæpissimè grassanrur, cameli & cerui ab illis natiua frigiditate tuti manent.

OMNIS ea febris quæ liquidam substantiam vitiat, si puram synochum excipias ex putrium humorum colluuie nascitur, & quo putredo deterior cordique propior existit eò citiùs & acriùs vitæ primordia demolitur: nam si maioribus in vasis succum aliquem inficiat tam sæuo furit febris incendio vt sæpè tantum intra breue spatium continenti ardore consumat, quantum vitæ totius curriculo calor ingenitus absumeret; cùm verò procul à corde, vel in totius corporis ambitu, vel solis in præcordiis oboritur, aliquandiu latet in occulto, tumque per vices, dum aura nempè putrida hinc ad cor vsque transpirat, vel ab eodem expirat, febris æstus accedentes atque recedentes seriùs, ocyùs, pro humoris genio commouentur: sic bilis, non autem excessus aquæ, vt sentit Plato, febrem tertio quoque die feruentem atque deferuentem inuehit, sic pituita quotidie prælium renouat, sicque melancholia quartanam non tantum omnium longissimam quippe quæ Vidum vltra viginti annos infestarit, sed etiam per se securissimam accendit: tam infesta quandoque putredo in corpus inducitur, vt sanguis ab ea deprauatus, modo putidus consumptisque fibris ad concretionem ineptus euadat modò vermiculis vndique scateat. Cor interim vt luem hanc à sese depellat totis viribus enititur, vtque natiuo calori fuliginibus pene oppresso succurrat, vehementiùs contrahitur, primum aduersus malum languidè, moxque viribus collectis validiùs insurgit, at verò dum alienum calorem in corporis extima diffundere contendit, tunc ipsum acriùs impuris facibus ardet atque consumitur.

INFINITA propè miracula fallax hominum credulitas inuexit, hinc enim tot characterum, totque figurarum portentosæ vires confictæ sunt, hinc lapis ophites quod perinde ac serpens sit maculis aspersus illius morsibus aduersari creditus est, hinc heliotropij guttæ cruentæ gemmam hanc vi sanguinem sistendi pollere leuiculis persuaserunt, hinc ranæ figuram in beryllo signatam discordes hominum voluntates conciliare nonnulli acrothoraces iudicant: sed nænias istas habere tanquam exploratas cæcutientis est, & lolio victitantis: non verius est quod plurimi de stupenda verborum virtute blatiunt, & quæ narrantur de Rege Ægyptio, de Syluano ac de pluribus aliis qui carminibus in veneris duello frigidi & vecordes euaserunt, anilia deliramenta sunt meræque fabulæ; si enim Pericli credimus is procul dubio mente captus est, qui his amuletorum præstigiis fidem adhibet; non idem tamen de plurimarum rerum vel sensu carentium amicitia & inimicitia censendum est, quippe nemini obscurum est cicutam sturnis amicam cæterùm infensam existere, veratrum coturnici alimentum reliquis animalibus medicamentũ esse, saliuam hominis vernaculam scorpionem enecare, & ab argento viuo densissimum aurum nequaquam verò lignum quamuis rarius intimè permeari: immò piaculum est in dubium reuocare sicut ex venenis quędam certis partibus infesta cæteris innoxia sunt vt lepus marinus qui pulmones & cantharides quæ vesicam exulcerant, item ex medicamentis esse plurima quibusdam membris tam firmo fœdere coniuncta, vt priuata dote, potius hanc quam illam particulam respiciant atque tueantur.

NON omnia medicamina manifestis viribus instructa sunt, sed eorum pleraque diuersas habent ab elementorum qualitatibus proprietates, quæ latent animos temperatos, illudunt curiosis, & salutare occultæ facultatis azylum irridentes in Pelopis errorem & iactantiam deuoluunt; sic illa quæ propter singularem suam cum corde naturæ cognationem cardiaca vocantur cum aliquid supra sortem elementorum obtineant, proprietate substantiæ cordi robur conferre nemo veræ doctrinæ fontibus rigatus non dixerit: non solarum tamen arcanarum virium ope id muneris exequuntur, sed alia calore partiumque tenuitate iuuantur vt vinum, moschus & ambarum, alia frigiditate & siccitate, vt lapis bezaar, citrij & punici mali succus, aliaque adstrictione vt malum cotoneum & corallium, ac proinde si frigida sicca deligas duplici ratione cordi putridarum febrium ardore flagranti subuenient; manifestis enim viribus putredinem in cordis luem per vasa manantem arcebunt, substantiæ verò familiaritate nobile hoc viscus æstu febrili maceratum firmabunt atque reficient: nullus est tam obesæ naris qui non animaduertat in febribus putridis pręcipuum esse salutis ægroti subsidium cordis nempe robur, quod si aliquando putridorum humorum sarcinâ grauiori pressum omnino fatiscat (non enim trahit vitæ grauiora supplicia) conclamatum est, & omnis incolumitatis expectatio præcluditur; quamobrem eò collimandum est quò vires eius retineri queant, hisque præsidijs cor sine mora muniendum est, quæ vires eius afflictas erigant, languidas foueant atque recreent, et sic illud à putredinis corruptela deffendant. Nec temerè te des in eorum viam qui vni sennæ & syrupo rosarum solutiuo tanquam panaceæ suam omnem dicarunt operam.

CARDIACA quæ calorem adiunctum habent magno & assiduo febris æstu feruentibus exhibere imprudentis est & perperam agentis, immò nec febribus interpolatis nisi ab humorum coctione concedenda sunt, ne vt Eudemo Philosopho præpostero theriaces vsu quondam accidit, grauiorem in morbum æger delabatur: verum ea quæ ex frigiditate aut ex qualitatum moderatione temperata sunt vt bùglossum, viola, rosa, nymphæa, saphyrus, os de corde cerui eiusdem & rhinocerotis cornu, vniones, ebur, berberis, smaragdus, sigillum lemnium, bolus armenus, caphura, santala, & similia putridâ febri iactatis firmissima sunt atque tutissima præsidia: sic quæcumque febris ea sit ex putridis quæ cruciat ægrotantem, siue sit querquera, rubra, pallida, liuida, mordax, lipyria, epiala, hemitritæus, singultiens, anxia, pemphigodes, falsa, tymorensis, aut quæuis alia, si præter venæ sectionem & purgationem, cardiacis aduersus eam dimicaueris, tunc sine dubio victoria certior & facilior inclinabir. His adductus grauissimus Hippocratis interpres vel ipsis diariâ correptis alicam punici mali granis conditam offerebat, vt videlicet putredini, cuius periculum esse subodoraretur obsisteret, & eam à corde propelleret; sed potiori iure cum sæuit in præcordiis aut venis grandioribus insidens cordi iam iam imminet, cardiacis vtendum esse quis tam illorum osor non fateatur?

Ergo febribus putridis Cardiaca.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Carolus Patin.	*M. Franciscus de la Chambre.*	*M. Michaël Marès.*
M. Philippus Chartier.	*M. Alanus Lamy.*	*M. Martinus Akakia.*
M. Franciscus Boujonnier.	*M. Nicolaus le Lettier.*	*M. Nicolaus Capon.*

Proponebat Lutetiæ ANTONIVS IOANNES MORAND Parisinus, A. R. S. H. M. DC. LVIII.